

gnito valore, retinent, nec pretii partem in venditorem refundunt. S. Lig. n. 807. — *Salmant.* — *Gousset*, n. 842. — *V. Comp.* n. 890.

925. — *R. ad 2^m Quæst.* BASILIUS, Parochus, minime inquietandus est, ut constat ex modo dictis. Etenim tabella hæc adeo pretiosa non-pluris ab utroque contrahente æstimabatur quam pretio quinque francorum, nec fraus nec dolus in contractu intervenit. Dices forte, errorem hic esse substantialem, ut in casu exposito supra, n. 781, de annulo adamantino, qui pro vitreo venditus est. *R. Nego*, quia error non est de rei substantia, bene vero de ejusdem pretio tantum. Fuit igitur præsens contractus *quasi aleatorius*, et juste emolumentum servat ille cui Providentia favet. Imo valde laudandus Parochus, ex eo quod, licet propria pecunia tabellam acquisiverit, nihil tamen pro se de pretio retinuerit. Attamen etiam laudabiliter egisset, si partem aliquam pretii ex tabella obtenti in gratiam venditoris erogasset.

926. — *R. ad 3^m Quæst.* Non sunt inquietandi, quia res illæ censentur amisisse pretium suum antiquum, et aliud ex consuetudine, vel contrahentium voluntate sortiri. Itaque res hujusmodi, ratione pretii, maximam accipiunt latitudinem. S. Lig. n. 807. Idem dicendum de emptione mobilium veterum (*choses de rencontre*), quia minoris communiter habentur, et facile etiam pro media vel tertia parte pretii veneunt, etc.

927. — *R. ad 4^m Quæst.* Idem est in hoc casu dicendum ac in præcedenti, ob eandem rationem, scilicet ex eo quod, ratione consuetudinis, libri tunc vilescant. Hoc præsertim valet, si libri sub hasta vendantur.

CASUS VIII.

ARCANÆ LITTERÆ.

GERVASIUS, agricola, terram effodiendo, magnam veterum numismatum copiam invenit, quæ cum ostendisset LAZARO prætereunti, et valorem ab eo postulasset: « Nullius fere valoris sunt, respondit ille jocando. Lege tu ipse litteras in eis impressas. » Litteræ autem illæ erant: S. P. Q. R. et referebant notissimam inscriptionem: *Senatus Populusque romanus*. « Vide, inquit, S. P. Q. R., id est: *Sit parum quod reddat*, seu gallice: *Si peu que rien*; quare fere nihil valent. » Abiit LAZARUS, et rem renuntiavit ROBERTO, qui agricolam adiit et pro minimo pretio sibi comparavit numismata, summoque valore ea vendidit.

HINC:

QUÆR. 1^o An ROBERTUS ad restitutionem erga agricolam teneatur?

2^o An ejus defectu LAZARUS?

SOLUTIO:

928. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Certissime ROBERTUS ad restitutionem tenetur erga venditorem. Etenim *fraus sua nemini patrocinari debet*, juxta per-vulgatissimum et receptissimum axioma. Atqui ROBERTUS fraude et dolo agricolam jam ab alio deceptum circumvenit, et ejus ignorantia et simplicitate abusus est. Etenim, licet res hujusmodi pretium non habeant, et

per se vili pretio emi possint, venditor tamen *jus strictum* habet ut non decipiatur. Ergo ROBERTUS agricolæ, *pro rata* excessus ab arbitris determinandi, restituere debet. Nec obstat quod ROBERTUS ipsemet GERVASIUM non deceperit; nam fraude alterius utitur ad monetas pretiosas ab eo extorquendas, quod idem est ac si eum ipse in errorem induxisset. Etenim ipse mala fide contraxit cum homine valoris monetarum prorsus ignaro, dum ipse valorem hunc perfecto cognoscebat. Ergo deficiebat æqualitas in contractu. Ergo ROBERTUS injustitiæ reus est, adeoque ad restitutionem tenetur. Hinc patet discrimen inter casum hunc et præcedentem. In priori enim ambo contrahentes versantur pariter in errore circa rei valorem, non vero in posteriori.

929. — *R. ad 2^m Quæst.* Quid de LAZARO dicendum? Numquid ab omni specie injustitiæ immunis erit? Nequaquam; etenim in damnum, ut cooperator, efficaciter influxit, amicum suum ROBERTUM de re admonendo, si damnum præviderit; si vero, ante factum, rem non præviderit, debuit statim errorem agricolæ corrigere, si cognoverit (ut probabile est) contractum hunc habendum esse, vel ROBERTUM a contrahendo impedire. LAZARUS igitur, deficiente ROBERTO, restituere debet, quamvis emolumento particeps non fuerit. Secus tamen in casu quo LAZARUS joculari tantum intendisset, nec contractum prævidisset faciendum, quia tunc prævisio damni deesset, et proinde nullus in illud influxus ex LAZARI parte adesset.

CASUS IX.

THESAURUS A TALPA EFFOSSUS.

BENEDICTUS in suo prato invenit (*mirabile auditu!*) ejectum a talpa nummum aureum veterem, cujus pretium ignorabat. Gaudens ac exiliens illum defert ad aurifabrum. Hic pretium multo minus justo offert, licet valorem nummorum ordinarium excedens. Tum: *Esne contentus?* ait; *et si pretium forte majus sit, visne id mihi condonare?* Annuit BENEDICTUS, et libenter quidem, quippe qui non sperabat tantum pretium se recepturum esse, et contractus perficitur.

HINC:

QUÆR. An aurifaber in conscientia tutus esse possit, vel utrum ad restitutionem erga BENEDICTUM teneatur?

SOLUTIO:

930. — Idem prorsus dicendum est in præsentī casu ac in casu præcedenti, de monelis veteribus romanis: aurifaber ad restitutionem erga BENEDICTUM omnino tenetur. Ratio potentissima est, siquidem evidenter ignorantia rustici illius abusus est. Etenim valet quidem *probabiliter* venditio rerum extraordinarie pretiosarum, pro minimo valore habita, si uterque contrahens verum rei pretium ignoret. Sed in casu nostro aurifaber pretium minime ignoravit, ergo bona fide requisita caruit; ergo vendentem decepit, injuriamque in eum commisit; ergo ad restitutionem tenetur. Nec obstat quod BENEDICTUS visus sit majus pretium condonare, si forte

tale sit; nam verba hæc : *Esne contentus*, dicta sunt ad obtinendum consensum in errore fundatum; neque responsio affirmativa consensum probat. *Reuter, n. 211.*

CASUS X.

THESAURUS IN PISCÈ!

BLANDINA, famula, convivium instauratura, in foro ingentem emit piscem. Illo autem exenterato, mirabile visu! obstupescens femina in ejus visceribus præfulgentem cernit gemmam. Quid est hoc? exclamat. Quod inaudiens CÆSARINUS, dominus, cito adstat; gemmam accipit, aufert et magno pretio vendit. Quare pecuniam habuit non solum ut piscem solveret, sed ut alia convivia bene multa faceret.

HINC :

QUÆR. 1^o *An CÆSARINUS piscatori, qui piscem vendidit, restituere debeat?*

2^o *An pretium gemmæ integrum vel ejus partem retinere possit, vel totum ancillæ tribuere debeat?*

SOLUTIO :

931. — *R. ad 1^m Quæst.* CÆSARINUS nihil prorsus piscatori restituere debet. Hic enim piscem vendens, ignorabat gemmam pretiosam in eo latere; si autem ignoraverit, ejus dominium non acquisivit: non potest enim dominium alicujus rei acquiri per occupationem, absque ullo animo illam occupandi. Atqui, si piscator gemmæ dominium nunquam habuit, nullam injustitiam passus est: ergo neque ulla damni reparatio ei facienda. Sic etiam neque ipse CÆSARINUS dominium gemmæ acquisivisset, si rei inscius, piscem amico donasset, aut vendidisset. *Recole dicta de dominio, n. 511.*

932. — *R. ad 2^m Quæst.* Cuiam competat pretium gemmæ? An famulæ quæ piscem exenterando eam reperit? An ipsi soli gemma competat, vel soli domino? vel utrique? Videtur famulæ competere pretium gemmæ, vel totale, si ut res derelicta habeatur, vel quoad dimidiam partem, si est thesaurus; inventrix est enim. Itaque consulendi erunt periti de ea gemmæ conditione, ad quæstionem demum resolvendam.

CASUS XI.

MARGARITA IN SUE!

FLORIANA, divitis porcorum mercatoris uxor, dum die quadam stabula sua lustraret, annulum gemma pretiosa exornatum amisit. In re diu diligenterque investiganda tempus et oleum perdidit. Mense autem abhinc elapso FLORIANUS, ejus maritus, miræ magnitudinis suam MEDARDO cauponi, soluto statim pretio, vendidit. Hic, paucis post diebus, dum occisam evisceraret belluam, cum stupore annulum a FLORIANA amissum in ejus intestinis reperit, et lætus uxori suæ, ut rem sibi propriam, statim do-

navit. Mox rei fama longe lateque percrebrescente, id FLORIANUS et uxor ejus etiam resciverunt. Absque mora porcorum mercator cauponem adit, gemmamque ab eo requirit. Negat iste restitutionem ullam a se faciendam esse, cum nihil alienum habeat; siquidem, porcum emendo, quidquid etiam in eo continebatur emit, et pretii solutionem præstitit. Quare lis a judice solvenda.

HINC :

QUÆR. *An caupo annulum in sue repertum, illæsa justitia, servare possit, aut illum FLORIANÆ reddere jubendus sit?*

SOLUTIO :

933. — *R.* Res non magnum facessit negotium. Annulus ille absque dubio FLORIANO mercatori, seu belluæ venditori aut FLORIANÆ ejus uxori, restituendus est. Etenim, axiomate notissimo, *res clamat domino*; atqui dominus non est MEDARDUS caupo, sed FLORIANUS mercator, seu FLORIANA ejus uxor: ergo ipsis restitui debet. Res liquido constat: nam FLORIANUS vel uxor ejus dominium annuli antea habebat; sed si habebat, servavit. Illud enim amittere non potuit, neque suis venditione, neque rei amissione.

1^o Quidem dominium non amisit suis venditione, quia, vendendo bestiam, non intendit vendere annulum, siquidem ignorabat illum porco esse incorporatum.

2^o Neque dominium amisit rei ipsius amissione, quia translatio domini debet esse voluntaria; ille autem qui rem amittit, non ideo vult eo ipso dominium ejus abjicere, sed e contrario sollicitus est ad eam recuperandam. Ergo FLORIANIS conjugibus gemma restituenda est.

CASUS XII.

PRO EPULIS NOCTUÆ!

LIBORIUS, coquus, grande convivium domino suo paraturus, amico, nomine SIMPLICIANO, ait: « Accipias, quæso, hanc pecuniam, pergas in forum, et emas mihi decem aves, præ cæteris quas invenire poteris, pretiosiores. » Ille cum venisset in forum et vidisset aliquem vendentem passeret: « Quæso, inquit, quanti vendis aves istas? » — Ille respondit: « Duobus assibus. » — Gratias ago, inquit, non indigeo. — Perrexit deinde ad alium qui vendebat merulas, et hunc quoque interrogavit, quanti venderet aves suas? Ille respondit: « Octo assibus. » Iterum SIMPLICIANUS: « Gratias ago, ait, non indigeo. » — Tandem accessit ad aliquem qui vendebat noctuas optime instructas, et magno labore educatas, ad aves alias in venatione alliciendas atque captandas. Isti etiam dixit: « Quanti vendis tu istas aves? » Respondit ille: « Quinque francis. » Tum emptor intra se: « Istæ sine dubio sunt aves, quas amicus meus desiderat. » Statim ergo, numerata pecunia, noctuas emit decem, et rediit ad coquum. Sed hic cum noctuas vidisset, maxime iratus est contra SIMPLICIANUM, et coegit eum ad referendas noctuas venditori et

ad pecuniam recipiendam. Sed venditor pecuniam dare noluit, dicens inter alia multa : « Quando tu abiisti, alter ad me venit ut noctuas emeret, et propter te illi eas vendere non potui; igitur habeas tibi noctuas, et ego retinebo mihi pecuniam. »

HINC :

QUÆR. 1^o *An venditor contractum rescindere debeat necne?*

2^o *Si non debeat, aut si nolit, an SIMPLICIANUS, aut coquus, aut dominus, damnum ex errore pati debeat?*

SOLUTIO :

934. — *R. ad 1^m Quæ.* Quid de contractus validitate, cum, ex errore, noctuæ ad convivium instaurandum emptæ fuerint? Nonne error iste substantialis est? siquidem res emptæ minime ad finem ementis conducit; noctuæ enim sicut et corvi in epulis non apponuntur. Si autem res inepta sit ad finem contrahentis, corrumpit ejus consensus, et proinde corrumpit ipse contractus, atque consequenter venditor contractum rescindere debet. Attamen non sic casum solvere debes. Etenim, licet ex parte ementis, *per se*, infirmus sit consensus in errore substantiali fundatus, recta tamen ratio ordoque debitus requirit ut finis ab emptore intentus venditori fiat manifestus, sive *explicite*, sive saltem *implicite* ex rerum adjunctis. Secus enim ementes ad arbitrium semper contractum rescindere possent, ex erroris prætextu. Ergo venditor contractum rescindere non tenetur, et ab omni damno, *per se*, immunis esse debet. Dico *per se*, quia, si mercator avium advertit ad simplicitatem ementis, et ejus errorem intellexit, sane contractum rescindere tenetur.

935. — *R. ad 2^m Quæ.* Quis igitur, secluso venditore, damnum subiturus est? An SIMPLICIANUS, mandatarius? An coquus mandans? An vero dominus convivium instauraturus? En lis dirimenda.

1^o Excusandus ab onere restitutionis SIMPLICIANUS, mandatarius. Nemo enim damnum ex sua actione proveniens resarcire tenetur, nisi graviter deliquerit. Atqui certo certius SIMPLICIANUS a peccato mortali judicandus est immunis. Ergo, etc.

2^o Excusandus quoque est mandans coquus, ob eandem rationem. Etenim neque damnum intulit culpabiliter, neque prævidit; ergo illud reparare non debet. Excipe, nisi ad nimiam mandatarii simplicitatem attenderit, et sic damnum in confuso prævidere potuerit. Sed hypothesis illa in casu non est probabilis. Etenim coquus, pro suo et domini honore et convivii instaurandi decore, hominem eligere noluisse qui mandatum convenienter non esset executurus.

3^o Dominus igitur domus totum damnum sufferre debet. Etenim ejus pecunia periit; res autem perit domino. Ergo... Nec res ea est ut dominus adeo stomachetur, et in coquum debacchetur. Potest enim noctuas pretio paulo inferiori revendere, nec tantum subire damnum; satius igitur erit, si rem cum risu accipiat, eamque convivis lepide narret, ut ab eis pro deficientibus aviculis veniam obtineat.

CASUS XIII.

RES VENDITA PERIENS.

Ante traditionem.

FUSCIANUS emerat a RUTILIO prædium, seu domum ruralem, hortis et agris circumdatam, 15 millibus francorum, ea tamen conditione ut venditori per quatuor adhuc menses liceret ea frui, nempe ad festum Omnium Sanctorum, et fructus illius colligere; postea vero emptor, numerata pecunia, possessionem caperet, simul obtenturus sex equos, totidem vaccas, et duodecim oves. Sed ecce! contractum illo legitime celebrato, contigit ut prædium istud, fatali fulminis ictu succensum, conflagraret, simul cum plerisque animalibus in stabulo reclusis. Jam vero elapso quadrimestri spatio, RUTILIUS vult cedere prædium, vel potius ejus rudera cum tribus tantum equis, duabus vaccis, sine ulla ove, ex eo quod omnes oves et cætera animalia promissa conflagraverint. FUSCIANUS vero contractui stare abnuat, et pecuniam numerare, quia status rerum multo deterior factus est.

HINC :

QUÆR. 1^o *An FUSCIANUS teneatur contractui stare, et pecuniam promissam numerare?*

2^o *An RUTILIUS satisfaciat obligationi suæ, dando tantum tres equos, duas vaccas, sine ulla ove?*

SOLUTIO :

936. — *R. ad 1^m Quæ. Affirmative.* 1^o Nulla est difficultas de *Jure Gallico*, quod nunc in variis locis admittitur. Etenim, cum venditio perfecta fuerit, celebrato contractum, seu præstito hinc et inde vero consensu, dicendum est omnino tenere contractum, et proinde FUSCIANUM obligari ad 15 millia francorum solvenda, licet prædium multo deterius evaserit. Res enim perit vel fit deterior domino, sicut crescit et fructificat domino; atqui dominus est emptor, seu FUSCIANUS: ergo accipere debet prædium in statu præsentis, licet deterius, et nihilominus pecuniam promissam integre persolvere.

2^o Eadem solutio danda est de *Jure Romano*. Etenim, licet *per se* emptor non acquirat jus in re, sed tantum jus ad rem, pretio non soluto, vel re non tradita, attamen si res pereat ante traditionem, et illa fuerit certa et in individuo determinata, v. g. hic equus, hæc domus, vel hic integer grex ovium, periculum non minus quam incrementum spectat ad emptorem. Atqui prædium hoc in individuo fuit absolute emptum a FUSCIANO: ergo ipse damnum subire debet. Nec refert quod nondum adierit possessionem, vel quod ipsi non licuerit fructus actu pendentes colligere, quia propterea sane pretio minori illud emit, quam emisset si statim possessionem adire et fructus colligere potuisset. *Elbel*, n. 956 et 977. — *S. Lig.* n. 828. — *Lugo, disp.* 26, n. 218. — *Recole dicta supra*, n. 908.

937. — *R. ad 2^m Quæ.* *Distinguendum est.* Si venditor supponitur non habuisse plures equos quam sex, nec plures quam sex vaccas, nec plures oves quam duodecim, satisfaciet suæ obligationi tradendo ea animalia quæ supersunt, quia in eo casu omnes in individuo vendidit, et quidem absolute, et consequenter periculum horum animalium, non minus quam ipsius prædii, spectavit ad emptorem.

Secus vero dicendum est, si venditor habuerit plures equos, plures vaccas, et integrum gregem ovium, et ex his promiserit tantum certum numerum. Ratio est, quia, si plura animalia habuit, et ex his tantum sex equos, etc., promisit, talis venditio fuit indeterminata; atqui periculum rei indeterminatæ pertinet ad venditorem. *Ita communissime*, inquit *Elbel*, n. 578; — *cum Lugo*, disp. 26, n. 218.

938. — Quid vero, si venditor habuerit ingentem gregem ovium, ex quibus duodecim emptori promisit indeterminate, et grex integer in incendio perierit?

R. In hoc casu non tenebitur quidem venditor emere oves duodecim, ut eas emptori tradat; sed tenebitur pretium remittere, seu imminuere pro illis duodecim ovibus quas promiserat. Ratio est, quia, ut jam diximus in venditione rei indeterminatæ, periculum rei pertinet ad venditorem. Ergo, si integer grex pereat, perit ipsi venditori, et consequenter, si pretium acceperit, tenetur illud restituere; si non acceperit, de pretio prædii pro rata valoris duodecim ovium detrahendum debet. *Elbel*, n. 579. — *Lugo*, *ibid.* — *Sporer*, etc.

CASUS XIV.

VENDITOR INDUSTRIUS.

VALERIUS mercator, variis industriis utitur ad pretium mercis suæ adaugendum, quin tamen limites justii pretii intra infimum prætergrediat. Itaque

1^o Mercem pretio infimo quidem tradere solet; sed postea de pondere vel mensura adeo detrahit, ut reapse pretio medio vel summo eam vendat.

2^o Semel, falsum rumore sparsit de navibus, merces advehentibus, submersis, et illum fictis seu suppositis litteris comprobavit: adeoque suas merces carius vendidit.

3^o Alias, rumore falso ab alio mercatore sparso libentissime usus est, ad merces suas pretio subinde corrente vendendas.

4^o Non raro mendacia et etiam juramenta cumulat, ut affirmet emptoribus se non posse merces suas minoris vendere, se aliis pluris vendidisse, vel merces pluris sibi constare.

HINC :

QUÆR. 1^o *An VALERIUS injuste egerit in primo casu?*

2^o *An in secundo casu?*

3^o *An in tertio casu?*

4^o *An in quarto casu?*

SOLUTIO :

939. — *R. ad 1^m Quæ.* *Affirmative.* VALERIUS injuste egit, et proinde ad restitutionem tenetur erga emptores. Ratio est, quia non stetit in contractu, quem inivit cum ementibus, de tradenda integra mensura pro infimo pretio: ergo isti decipiuntur; ergo non dant verum consensum in pretium. Ergo VALERIUS illis restituere debet pro rata excessus pretii, seu pro ratione imminutionis ponderis vel mensuræ. Imo restituere debet etiam aliis mercatoribus, qui jus habent ut ementes per talem fraudem a suis officinis non retrahantur. *Lacroix*, n. 954. — *Reuter*, n. 222.

940. — *R. ad 2^m Quæ.* Pariter *affirmative*: certo VALERIUS violavit justitiam, atque ad restitutionem tenetur. Ratio patet. Etenim fraude usus est ut emptores induceret ad emendum majori pretio, et egit contra jus quod quisque habet ut fraude vel mendacio non inducatur ad aliquod damnum. Ergo damnum illud resarcire debet. *Lacroix*, n. 955, et alii *communiter*.

941. — *R. ad 3^m Quæ.* *Negant* aliqui, quia VALERIUS non fuit causa cur pretium adauctum fuerit, et ipse vendit pretio tum corrente. Sed verius *affirmandum est*. Ratio est, quia pretium non potest esse simul justum et injustum, scilicet, justum pro mercatore qui falsum rumore non sparsit, et injustum pro alio qui illum diffudit. Porro est injustum pro alio quolibet. Et re quidem vera non est pretium voluntarie a vulgo, aut naturaliter a circumstantiis introductum. *Lacroix*, n. 955. — *Reuter*, n. 221. — *Salmant.* — *Castropalao*.

942. — *R. ad 4^m Quæ.* *Negative per se*, seu *communiter loquendo*: etenim, quamvis VALERIUS mendaciis et juramentis inducat emptores ad plus dandum, non tenetur tamen ad restitutionem, quia satis notum est mercatores solere talia proferre et effutire, quamvis vera non sint. Quamobrem emptores qui iis fidem facile præstant, damnum sibi imputare debent. *Lacroix*, n. 956. — *Reuter*, n. 223. — *S. Lig.* n. 805.

Dixi *per se*, quia, ait *S. Lig. ibid.*, si quando venditor animadverteret in casu particulari emptorem notabiliter decipi, et ideo majori pretio emere, is ab injustitia non esset excusandus.

CASUS XV.

VENDITIO JURIIUM INCORPOREORUM.

1^o BONIFACIUS, pluribus gaudens creditis post annum solvendis, cum esset in aliam regionem longe dissitam emigraturus, sua jura RIPALDO vendit. Sed hic contractui non annuit, nisi pretium aliquatenus infra realem valorem deprimatur.

2^o MICHAEL plura habet credita solutionis valde difficilis. Juste timens ne sors pereat, quia animadvertit debitores suos in rebus suis multum implicatos esse, consilium capessit jura sua vendendi, licet magnam jacturam sit factururus: contractui emptionis consentit JACOBUS sed ea lege ut tantum 50 pro 100 MICHAELI soluturus sit.

3^o ARCONTIUS mille francos mutuo, TATIANO, viro nobilissimo et principi, dederat. Sed, cum pecuniam difficulter recuperare posset, ALBERTUS ejusdem principis amicus, qui medium habebat ut facile debitum istud accipere valeret, v. g. quia similem summam ipsi principi debebat, se offert ut jus ARCONTII emat, sed ea conditione ut, loco mille francorum, 900 tantum ipsi tribueret.

HINC :

QUÆR. 1^o An, vel quatenus jura incorporea vendi possint?

2^o Quid ad propositos casus?

SOLUTIO :

943. — R. ad 1^m Quæs. Jura incorporea, ut chirographa, credita, ususfructus, jus ad hæreditatem apertam, etc., si certa sint, vendi possunt sicut cætera jura quælibet; eorum autem traditio fit, chirographa vel alia scripta remittendo. Si vero dubia vel litigiosa sint, vendi possunt pro rata probabilitatis fortunæ favorabilis; proinde vilius emi possunt, si sint incertæ vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt. Imo hoc valet etiam, si jura sint certa et facilis solutionis, quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo justum censetur pretium quod communiter pro talibus chirographis solvitur. S. Lig. n. 829, etc.

944. — R. ad 2^m Quæs. In primo casu, RIPALDUS credita BONIFACII vilius emere potest, quia res ultroneæ vilescunt; nec refert quod res illæ sint incorporeæ, cum valorem habeant haud secus ac res physicæ. Insuper labor et sollicitudo ad recuperanda debita, etiam vero pretio æstimabilia sunt.

In secundo casu, JACOBUS culpandus non est per se; debita enim solutionis valde difficilis notabiliter viliora fiunt. Sed ad rationem periculi majoris vel minoris attendendum est, ut æqualitas sortis, circiter, inter contrahentes servetur.

In tertio casu, validus et licitus est contractus. Debitum enim per se est difficilis solutionis: ergo minoris valoris. Est autem per accidens quod ALBERTUS medium facile habeat illud recuperandi. Tanto igitur melius pro ipso, si hac bona sorte sibi favente utatur; nullam enim injuriam facit venditori, qui ab alio quocumque plus obtinere non potuisset. Reuter, n. 204. — Lacroix, l. 3, n. 987.

CASUS XVI.

RETROVENDITIO.

RODULPHUS pecuniam ad census annum a RICHARDO acceperat, ea lege ut, reddita pecunia, census ille redimibilis foret. Anno elapso, RODULPHUS, licet census redimere minime intenderet, quippe qui pecunia necessaria prorsus carebat, simulavit tamen hunc redimere, reputans hac via RICHARDUM inductum iri ad pensionis in posterum solvendæ imminutionem. Itaque hominem adit, et significat sibi esse animum de census redemptione quantocius peragenda. Verum astus astu captus est.

RICHARDUS enim, RODULPHI artificium subodoratus, statim respondit: « Ut video, pecuniam jam habes in promptu; eam igitur quam citissime, si velis, etiam die crastina, afferas, ut extincti census rationem conficiamus. » Sic irretitus RODULPHUS: « Non habeo quidem hic et nunc, ait, sub manu; sed intra mensem certo a quodam debitore recipiam. » — Optime, inquit RICHARDUS, post mensem te exspecto. Quid RODULPHUS tam brevi spatio faciet? Quidquid habebat vini vendere properat. Sed cum sufficienti pecunia adhuc careret, ab ADRIANO, vicino suo, duo boum juga emit credito, ea statim pecunia numerata venditurus. Sed rem suspicans ADRIANUS, antequam boves traderet: « Si vis, ait, ego boves a te iterum emere paratus sum minori quidem, sed honesto adhuc pretio, quod incunctanter tibi persolvam. » Proponenti annuit RODULPHUS, ut tandem ab angustiis eriperetur.

HINC :

QUÆR. 1^o An RODULPHUS licite et valide imminutione pensionis uti potuisset, si RICHARDUS, ejus dolo deceptus, in imminutionem consensisset?

2^o An ADRIANUS sine injustitia boves minori quidem, sed soluto pretio, emere potuerit?

SOLUTIO :

945. — R. ad 1^m Quæs. Neg. Etenim, si RODULPHUS pensionis imminutionem obtinisset, eam fraude et dolo extorsisset; nam RICHARDUS falso metu fuisset inductus ad id concedendum. Habebat autem jus ne fraudulenter deciperetur. Ergo actus quo pensionem imminuisset, ex errore invalidus esset. Ergo damnificatio inde subsequens reparanda esset. Secus foret dicendum, si RODULPHUS fingeret quidem se velle census redimere, intuitu imminutionis tributi obtinendæ, sed hic et nunc haberet vel facile habere posset pecuniam qua sortem restituere valeret; tunc enim jure suo uteretur. Recole dicta de Contractibus in genere n. 784. — Reuter, n. 120, 122.

946. — R. ad 2^m Quæs. Affirm. Ratio est, quia prima venditio non facta est cum pacto retrovenditionis. Ergo retrovenditio est novus contractus, omnino a priori independens; ergo ADRIANUS boves ab emptore suo iterum emere potuit quolibet pretio justo, licet minori, sicut ab altero quolibet. Porro, si ab altero emisset, de justo pretio quolibet ei pacisci licuisset. Ergo non est inquietandus ADRIANUS. Sed cum non sit mediocriter callidus, caveat ne mente usuraria agat, et labe indebiti lucri maculetur.

CASUS XVII.

DE RELATIONE MERCATORIA (REPORT) (1).

CORNELIUS, procurator ad venditionem census (agent de change), emit pro cliente suo census 300 francorum, pretio 7,000 francorum, ea

(1) Vide versionem gallicam hujus casus ad calcem vol., a n. 1033 et seq.